

Lunae die 16° m. Decembris a. 1985.  
a.d. XVII Kal. Ianuarias MCMLXXXV

IUNIOR

# MELISSA

VII

EUROPAEA FOLIA SECUNDO QUOQUE MENSE LATINE EDITA

Editrice responsalis: Diana LICOPPI - Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - 1040 BRUXELLIS  
Tel.: 734 55 42.

Redactrices : Francisca DERAEDT et Diana LICOPPE.

## COLUMBANUS ROMEAN

*qui ducit per*

Qui, a Gallia iter faciens in Italiam, transierit specum fossum ferriviarium qui terebrat montem Frejus, pervenit, emergens tandem a tenebris ad lucem, ad Italicam stationem urbis "Bardonecchia"; cum autem, post quattuor stationes ferriviarias, occurrit oppidulo "Chiomonte", extollat oculos et prospiciat attente iugum montium quod attollitur a sinistra parte itineris. Cernet qui dicuntur "*i denti di Chiomonte*", id est complura cacumina, quae exsurgunt invicem distantia brevi spatio, ceu immanes et asperimae turres, quasi sint congressus Gigantum.

*his* Duo chiliometra circiter ante Dentes illos giganteos, proximus fastigio iugi montium, aperitur qui dicitur "*cuniculus Columbani Romean*". opus insigni laude decorandum.

Totum illud latus montis quod prospicit oppidulum "Chiomonte", erat temporibus elapsis aridum et saxosum, cum nullus fons neque rivus id rigaret. Contra, ultra fastigium montis, patebat parva vallis, quae secabatur spumeis torrentibus, se devolventibus a non longinquo monte "Nible", obsito nivibus perennibus.

Saeculo XVI, quidam incola oppiduli "Chiomonte" mente concepit propositum quod videbatur esse somniantis: ascendere fere ad fastigium montis, eum terebrare cuniculo qui perveniret ad latus oppositum, ubi erat parva illa vallis, locuples copiosis torrentibus, et illinc derivare abundantem vim aquarum, quae irroraret aridum latus montis.

Et ecce, aestate anni 1526, comitatus fido cane, praeditus rudibus instrumentis, ut scalpro, malleo, ligone atque bipalio, ille vir alpicus, nomine Columbanus Romean, coepit ascendere asperum latus montis.

Cum pervenisset circiter quingenta metra a linea displuvii, coepit solus transfodere viscera montis.

Per tres menses id egit contumaciter, sub tentorio dormiens noctu, ac diu lente penetrans in saxeа viscera montis. Eius canis, condocefactus, descendebat interdum a iugo montis usque "Chiomonte", et ibi familiares Columbani eum onerabant cibariis quae ingeniosa bestiola, idem iter scandens, ferebat ad eum.

Ad prima frigora autumni, Columbanus statuit reverti domum; cuniculus, altus plus quam unum metrum et unum metrum circiter patens in latitudinem, iam se insinuabat aliquot metra in latus montis; Columbanus autem iam sibi conscious factus erat totum opus posse adduci ad bonum exitum.

Transactis hieme atque vere, ecce iterum Columbanus opus resumpsit, et per septem aestates Noster pertinaciter opus perrexit, placidus et inter montes seductus, dum populi magnae partis Europae, excitati vehementibus verbis Lutheri, ineunt acerbissima bella.

Tandem, mense Septembri anni 1533<sup>i</sup>, ultimum herbidum diaphragma corruit, et Columbanus, oculis lacrimulis lucentibus, prospexit improviso parvam vallem oppositam, sonantem laeto fragore torrentium.

Haud arduum fuit deducere ad cuniculum vim abundantem aquarum, quae rapide penetrantes in eum, post breve tempus, hilario impetu eruperunt in latus adversum montis, se diffundentes per eius saxosam superficiem.

Columbanus Romean ergo vicerat! Ab illo die, regio illa declivis (*La Ram* vocant), antea arens et siticulosus, neque

herbis nec floribus nec plantis laeta, facta est regio exornata dumetis et arboribus et virentibus pratis.


Cum primum filiolus meus Paulus certior factus est de hac mirabili re gesta Columbani, subito rogavit ut ad cuniculum ascenderemus (solebamus aestivare in urbe montana "Oulx", quae pauca chilometra distat a "Chiomonte".

Quomodo abnuerem? Vecti autoraeda usque "Chiomonte", aggressi sumus alacres declivitatem montis. Post tres horas, coepimus audire fragorem aquarum, et ecce, post aliquot minutis, aperitur oculis nostris cuniculus Columbani Romean, evanescens obscurus in visceribus montis, a quo laeto impete effundebatur spumescens torrens liquidissimae aquae.

peula pps

Taciti et stupore defixi restitus admirabundi, ac ~~mox~~ contineri non potuimus quin toto corde plauderemus illi alpico viro eiusque inflexibili constantiae, non vero oblii fidi canis, cuius quoque ope illud audax facinus potuerat perduci ad exitum.

Guido ANGELINO.



## BERTHA LONGIS PEDIBUS

Omnes novistis Caroli Magni patrem, Pepinum Brevem. Hic rex, quamvis parvus, fortissimus erat. Audiverat filiam regis Hungarorum, nomine Bertham, venustam per pulchramque esse; itaque eam in matrimonium ducere voluit. Rex Hungariae adsensit atque filiam suam cum ancilla eius in Francogalliam misit. Sed, cum in Francogallia fuerunt, ista ancilla, quae non solum proditrix erat, sed etiam similis Berthae, exceptis pedibus minus longis, Bertham in silvis reliquit et in eius locum Pepinum Breven nupsit.

Parvula regina, sola territaque, in vasta silva flebat. Post aliquot dies feliciter recepta est a familia quae in silva domum suam habebat. Cum eis novem annos vixit.

Interea, mater Berthae, quae filiam suam reginam esse putabat et eam vide-re cupiebat, in Francogalliam venit. Sed, postquam advenit, o mirabile visu! non filiam sed ancillam Pepinum nupsisse animadvertisit! Summo dolore affecta, interrogat ancillam quae fatetur Bertham in silvis relictam esse. Omnibus silvis diu exploratis, Pepinus Brevis Bertham tandem invenit duxitque in matrimonium. Bertha ~~ab~~hinc felix ei duos filios dedit, e quibus Carolum Magnum.

# PANEM ET CIRCENSES

is Iuvenal poeta scribebat populum Romanum tantum rogare PANEM ET CIRCENSES. Etenim unoquoque mense, plebs accipiebat frumentum gratuitum. Quod, imperio incipiente, plus quam trecenta milia hominum accipiebant. Circenses a ditissimis civibus vel ab imperatoribus praebabantur. Iam ab Urbe condita exstabant Romae ludi sicut curruum cursus et gladiatorum vel belluarum pugnae. Ab imperio, ludi per totum diem agebantur.

Curruum cursus habebantur in Circo Maximo qui Romae continere poterat plus quam ducenta milia spectatorum. In initio, cippi statura erat lignea sed tam frequentia erant incendia ut Neronis aetate lapidibus marmoreque repararetur. Equi erant primum privatis possessoribus. Postea, Imperatorum aetate, dividebantur in quattuor factiones quae colore agnoscebantur et vocabantur prásina, véneta, alba et russáta. Spectatores favebant uni e factionibus. Fautores uniuscuiusque coloris inter se in viis pugnabant. Imperator ipse colori favebat. Nero e.gr. factioni prásinae favebat et viridi veste indutus in Circum veniebat. Auríga galeabatur et coloris sui sagato in duebatur. Equorum frena ad eius zonam ligabantur quare cultellum habebat quo, si ceciderat, frena secare poterat. Septem circuitus conficere debebat.

## DE AMPHITHEATRO.

Verbum "amphitheatrum", origine Graecum, significat "bi-theatrum". Forma eius est rotunda vel ovata. Romae, Amphitheatrum Flavianum, i. e. Colosseum, quinquaginta hominum continere poterat. Aestuosa tempestate, velum super aedificium extendebatur quo spectatores protegerentur.

Ibi habebantur, inter alia, gladiatorum pugnae. Iam Tuscorum temporibus, cum dux periisset, eius servi et nonnulli e captivis necabantur. Postea tela acceperunt et inter se pugnabant usque ad mortem.

Romani hanc morem ceperunt non solum in funeribus sed etiam in festis religiosis.

Ante principatum institutum, gladiatores exercebantur in scholis privatis, praesertim Romae Capuaeque. Imperatorum temporibus, gladiatorum scholae rei publicae erant.

Nonnulla erant genera gladiatorum. Retiarius rete et tridente pugnabat. Adversarius eius saepe erat secutor, scuto et casside armatus. Ubi retiarius pugnabat adversus Gallum, qui piscem in casside habebat, clamabat: "Non te sed piscem oppugno! Cur aufugis?"

Cum gladiator vulnerabatur, scutum ponebat et sinistram ad pulvinar tollebat. Imperator eum salvare poterat sed saepissime iubebat populum ipsum aestimare. Si spectatores aestimabant eum bene pugnavisse, pollicem levabant et gladiator curabatur. Si pollicem vertebant, mortem rogabant. Adversarius eum necabat brachiumque dextrum tollebat, victoriae signum. Populus victores acclamabat etsi multi gladiatores erant servi nefarii. Accipiebant marsupia auri plena et res gestae in parietibus inscribebantur. Matronae eos valde amabant, ut legere possumus Pompeiis.

Post nonnullas victorias, gladiatores lignumensem accipiebant, libertatis signum. Gladiatorum pugnae post meridiem et animalium ante meridiem habebantur.



In Colosseo monstrati sunt camelopardales, struthiones, leones, rhinocerotes, hippopotami, crocodili pantheraeque. Ad artificia facienda nonnulli domabantur et educabantur. Belluae non tantum inter se pugnabant sed etiam adversus homines. Qui, sicut gladiatores, saepissime servi vel nefarii erant et in scholis specialibus exercebantur.

Accidebat ut nefarius morte damnatus ad belluas iaceretur. Erant sub amphitheatro cellae in quibus belluae custodiebantur et captivi cludebantur.

Nonnumquam amphitheatrum inundabatur ad naumachias faciendas. Damnati pugnas simulabant, e. gr. Persae Atheniensesque apud Salamina.


Circenses Romani facti sunt per multos annos post initium nostrae temporum rationis. Fuerunt gladiatorum pugnae usque ad 5um saeculum et belluarum usque ad 6um.



Imago prima invenitur in libro delineato a Iacobo MARTIN cui titulus est "ALIX".

Imago altera nuntiat novam pelliculam cui aucto*red* sunt Paulus et Gaëtan BRIZZI et titulus "ASTERIX et la surprise de César".

Hes



Responsa

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
P	A	S	S	U	U	M	M	S	E
A	M	I	C	I	T	I	A	E	
T	A	M	E	N	L	E	U	I	
E	T			L	U	C	E	S	U
R	I	S	U	M	S	T	A	S	
S	I	S	E		A	U	T		
U	N		S	T	T	U			
N	A	V	I	N	E	S	T		
A	B	U	N	J	A	N	S	I	
M	M	M	E	M	O	E	A		

VERBA INTEXENDA

### PERPENDICULARITER.

- la 1. Verbum temporale usitissimum inter viros et mulieres.  
 2. Quae venit post nonam.  
 3. Quorum varietas est magna sed omnia Romam ducunt.  
 4. Is quem video. Longius ad aquam e puto hauriendam.  
 5. Cenamus. Sed.  
 6. Neque me neque te. Quibus milites se protegunt.  
 7. Iussus medico factus. Non ex. Ultimum Caesaris verbum.  
 8. Legaveramus.  
 9. Ante "Hercle!". Exstat.  
 10. Cui Musa poetæ est.

### TRANSVERSE.

1. Hodieinus periodicus Latinus.  
 2. ... ames oportet. Sunt qui eum orant cottidie.  
 3. Eius impetu vincitur. De montibus descendunt.  
 4. Quem celebramus religiose. Genus pecuniae.  
 5. Aliquid pecunia accipimus. Prima pars primæ partis.  
 6. Utrum... Si ...., non veniret.  
 7. Ante "Deus!". Ac. Dimidia pars duarum.  
 8. Intereat. Si mihi sunt.  
 9. Novissimus.  
 10. Capio. Cesso.